

ipse vidit tenere a Marchionibus villam, & locum Boschi cum omni honore, & jurisdictione, quod in villa Boschi non erant consules, & quod homines de villa Boschi rogabant Marchiones, quod daret eis consules. Item testatur, quod Marchiones habebant successiones; ita quod si aliquis obiisset sine heredibus, Marchiones habebant totum hoc, quod ipse habebat, ita quod nec fratres, nec propinquitates non habebant aliquid, nisi hoc, quod Marchiones volebant eis dare, vel vendere, & credit quod hoc stetit usque dum Henricus de Ponzono fecit suis hominibus de Bosco usum in successioneibus, & dicit quod D. Otto adhuc habet prædictas successiones sicut D. Henricus unquam habuit, vel alii Marchiones, quia ipse nondum fecit pactum, nec usum, nec dimisit prædictas . . . . . credit quod in piscation . . . . . colligere aurum in flumine Urbæ per Marchiones . . . . . concordabantur, & si non dabant eis pactum promissum Marchiones, & nuncii eorum expellebantur . . . . . flumine Urbæ . . . . . abstinebant (*abstulerant*) eis omnia eorum axia pertinentia ad illud officium, & dicit firmiter, quod vidit hæc auferri . . . . . nunc capitulo . . . . . quod terra, de qua lis est finolturn, vel limium Urbæ non sit, neque de . . . . . capitulo quod si . . . . . Marchiones, a quibus causam habent, habuerunt, & tenuerunt molendina in betali, quod nunc est, per quem . . . . . ad molendinum, de sede cuius lis est per 50. annos, & plus continue, & quiete dicit, se nihil scire. 30 Quod iste . . . . . (*desunt tres lineæ*) . . . . .

Et D. Poncius de Ponzono juratus interrogatus de omnibus capitulis, singillatimque per singula, respondet per omnia sicut Arnaldus de Meladio adjungens, quod si sibi, vel aliis Marchionibus de Bosco, & de Ponzono placeret facere molendinum novum in toto suo districtu, & districtu illorum de Bosco, vel mutare antiquum molendinum ipse, & ipsi de Bosco possunt de jure, & consuetudine componere clusam, & facere betale ab utraque parte super terram hominum illorum locorum, quæ regalia est, & ita usi sumus Veragine meo tempore in sex molendinis, & in Ponzono, & testatur quod vidit facere molendinum D. Othoni in Miolia super terram ipsius D. Pontii . . . . . & quod omnia jura superscripta habent a D. Imperatore.

*Concessio terræ Ecclesiæ S. Caloceri cum reservatione census.*

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXV., indictione III., die Mercurii V. augusti in Castelleto Aquis coram domino Anselmo Aquensi electo in hoc favente D. Lanfredus, & Paullus Aquenses Canonici, & Massarii, Odicione Canonico præsentate, & consentiente per se, & successores suos tradunt, & concedunt Vellelmo Bucatio fratri hospitalis, & ministro Ecclesiæ sancti Caloceri recipienti nomine ipsius Ecclesiæ in se, & suos successores quantum (*forte quartum*) de terra, quæ jacet in territorio Aquis, cui cohæret boscus, & Ecclesia sancti Ca-

loceri, Arnaldus Bojanus, & via tali conventu, quod dictus frater Vellelmus debet reddere per se, & successores suos omni anno, quo in dicta terra fuerit messis, vel debuerit esse sextarios sex frumenti ad mensuram Aquensis Ecclesiæ sancti Joannis de Aquis ad eandem Ecclesiam deportatos, & hoc ut suprascripti Vassalli, & dictus frater Vellelmus cum consilio, & voluntate suorum fratrum nomine presbiteri Manfredi, & Vellelmi promittunt per se, & successores suos omni tempore observare, confidentes utriusque Ecclesiæ interesse, & inde binas chartas unius tenoris fieri rogaverunt; interfuerunt testes rogati magister Henricus, presbiter Joannes, Vellelmus de Isula, & Bellengerius; postea vero eodem anno, & loco die Dominico 23. ejusdem mensis, D. Arnaldus, & Agradus Canonici Aquenses has chartas ut supra confirmantes ratas, & firmas easdem omni tempore promittunt observare, præsentibus testibus rogatis Consule Aycardo de Pusterna, & Petro Boza. Ego Palatinus Notarius interfui, & has chartas scripsi. Ego Ubertus Galea de Aquis Not. Pal. mandato D. Alberti Episcopi Aquensis ec. Ego Bonfilius Not. Pal. ec.

*Jus Aquensis Ecclesiæ in manso Sorani.*

Anno Dominicæ Nativitatis Domini MCCXV., indictione III., die Sabbati VI. decembris in Castelleto Aquis cum controversia verteretur inter D. Anselmum quondam præpositum Aquensem nomine sanctæ Mariæ Aquensis Ecclesiæ ex una parte, & Vellelmum, qui dicitur Sivoletus ex altera de redditibus, & conditionibus mansi quondam Vassalli, & modo Sivoleti detenti siti territorio Sorano compromiserunt in magistrum Henricum pœna decem librarum hinc inde promissa, quos redditus D. Præpositus dicebat esse octo panes, sex spiaroles, & duos pullos veteres, solidos tres Januenses pro conditione, & tres sextarios annonæ, & operas; & hoc ea ratione quod dicebat mansum istum legatum & donatum esse Aquensi Ecclesiæ, & dictos redditus antecessores suos habuisse. E contra prædictus Sivoletus negabat eum debere omnia prædicta hinc excepto districto terræ; & inde ipse præpositus testes produxit ad suam petitionem fundandam; unde prædictus magister Henricus visis, & auditis hinc inde propositis habito consilio prædictum Sivoletum, & Jacobum Arancamilium procuratorem constitutum ab eo ad sententiam audiendam condemnavit ad prædictorum omnium restitutionem, & ut de cetero Ecclesiæ Aquensi libere, & omnino dimittat, & inde fieri chartam rogaverunt. Interfuerunt testes rogati Manfredus Mangacruset, Ubertus magistri Henrici, & Anselmus Tortagna de Lanerio. Ego Lotterius Palatinus Notarius rogatus interfui, & hanc chartam scripsi. Ego Ubertus Notarius Palatinus mandato Domini Aquensis Episcopi hanc chartam factam a prædicto Lotterio ec. Ego Bonfilius Notarius Palatinus ec.